



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 123. Concordiæ leges Imperatorem inter & Hungariæ Regem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

gnus, eo quod ab eo secura Regni sui possessione dependeret.

Sæcul. XV.

A.C. 1464.

## §. CXXIII.

*Concordiæ leges Imperatorem inter,  
& Hungariæ Regem.*

Verum Imperator cum probe intelligeret, quod nec suo honori, nec suis commodis congruum foret, si se bello implicaret, tandem coronam Matthiæ reddere statuit, sub quibusdam tamen legibus, quibus a Rege acceptatis, die vigesima prima Julii Anno priore Novostadii concordiæ literæ conficiebantur, quibus sancitum. I. Ut Imperator Matthiam in filium adoptaret, eumque Matthias Patris loco haberet, ac proin Matthias Friderico tanquam Patri suo filiale obsequium, & Fridericus Matthiæ veluti Filio Paternam curam & amicitiam impenderet. II. Si Matthias absque Filiis seu Nepotibus legitimis decederet, regnum Imperatoris esset, aut unius ex Filiis ejus, quem Regnum eligeret. III. Interim quædam intra regni fines oppida cum titulo regio Fridericus retineret. IV. Neuter præteritas exequeretur injurias, sed firma concordia inter utrumque Regnum, populosque esset, ac sine ullo discrimine utriusque subditi ab utroque Principe haberentur, ita, ut tam hi

L 2

quam



Sæcul. XV.  
A.C. 1464. quam illi semper communibus juribus ac privilegiis in utroque Regno uti possent. In hisce tamen concordie legibus de sexaginta, ut inquit Bonfinus, vel juxta alios, de octoginta aureorum millibus, quæ Rex Hungariæ Friderico numeraret, nulla facta est mentio; hic enim articulus secretus supprimebatur; eo quod turpe, ac Cæsareæ Majestatis indignum censeretur, ejusmodi pactum tabulis apponere.

## §. CXXIV.

*Matthias, delata in Hungariam corona, Rex salutatus.*

*Bonfin. l. c.*  
*Thuros c. 66.*  
*Naucler. vol*  
*3. gener. 49.* Igitur corona, quam Hungari non minori veneratione, ac religione exceperant, ac olim Troyani sacrum Palladis simulacrum servabant, tandem restituta fuit. Magnifica prorsus erat pompa, qua rursus illa in Regnum deferebatur; quippe in Germaniam usque mittebantur Legati, qui diadema reciperent, illudque tria equitum millia comitabantur; credebant enim Hungari, palamque asserebant, quod ab hac sola corona Regis sui incolumitas, ac Monarchiæ spes dependeret. Ergo Matthias feria sexta Majoris Hebdomadæ Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto hoc diademate in celeberrimo Regni